

Profer, et hylæo parcus de nectare liba.  
 Adde suburbano tibi quod successit in horto  
 Dulce olus, et pubens decusso flore legumen ;  
 Adde et maturos, quos fertilis educat annus,  
 Delectos fructus, imprimis mitia poma,  
 Quæ pulchre in cistis mensam rubicunda coronent.  
 Postremo e tostis succedat potio baccis,  
 Quas tibi Moka ferax, mittunt et littora eoa :  
 Nigrantem laticem sensim summisque labellis  
 Sorbilla ; dulcis stomachum bene molliet haustus.  
 De tenui victu hæc teneas, his utere tutus,  
 Ad seram ut vivas sanus vegetusque senectam.

\* \* \*

At contra (hæc sapiens argute addebat Ofellus)  
 Nectere nata dolos, homines et perdere nata  
 Vitanda ingluvies, crudelis et improba siren.  
 Principio hoc illi studium ; componere mensas  
 Ornato vario, aulæis ostroque nitentes  
 Explicat ipsa vident tonsis mantelia villis ;  
 Grandia stant circum longo ordine pocula, aheni  
 Crateres, pateræ, lances, argentea vasa :  
 Mensa thymo atque apio redolet florumque corollis  
 His laute instructis, simulate voce locuta  
 Convivas trahit incautos, succedere tecto,  
 Mollibus et blanda invitat discumbere lectis ;  
 Continuoque reposita cadis lectissima vina  
 Cæcuba depromit, eorumque vetusque Falernum ;  
 Quin exquisita stillatos arte liquores  
 E musto et pomis, ultro potantibus offert.  
 Convivæ humectant certatim guttura, et una  
 Succosas avido degustant ore placentas.  
 Ecce autem lucanus aper perfusus abunde  
 Mordaci pipere atque oleo, profertur edendus,  
 Et leporum pingues armi, et iecur anseris albi,